

hæreditatis aditio sunt actus legitimi l. actus 77. ff. de R. J. nec tamen sunt Legis actiones: utpote cum fieri possint solâ privatorum voluntate, absque ulla Magistratûs auctoritate, & interventu Jurisdictionis. Imò, licet tutoris datio sit actus legitimus, & auctori-

tatem Magistratum desideret, non tamen est Legis actio: Legatus enim Proconsulis tutorem dare potest; actio autem Legis apud eum institui non potest l. nec adoptare 3. ff. de Off. Procons. Huberus ad tit. ff. de Jurisd. dict. num. 6.

QUÆSTIO II.

De tunc duplex Jurisdictio Contentiosa, libellaris & decretoria?

3 **R**elata illa in hoc cap. n. 5. & 6. ex Obrechtio. Facem accendunt, quæ traduntur à D. Gerardo Noodt de Jurisd. lib. 1. c. 10. Nempe in Jure Civili Romano libellus & cognitio seu decretum sibi invicem opponuntur, uti videre est in l. nec quidquam 9. §. 1. ff. de Off. Procons. & Leg. l. minorum 6. Cod. de Præd. & aliis reb. minor. Nam, ubi res per libellum expediri poterat, is, qui postulare aliquid volebat, de plano Magistratum adibat, libellum offerendò, eique Magistratus per subscriptionem respondebat per l. libertus 15. ff. de in Jus voc. l. si quis 29. ff. ad L. Cornel. de Fals. At, ubi decretum & causæ cognitio desiderabatur, per libellum, aut de plano res expediri non potuit, sed pro tribunali fieri debebat d. l. nec quidquam 9. §. 1. ff. de Off. Procons. l. bona autem 3. §. 8. ff. de Bonor. possess. Et quamvis ea, quæ per libellum petita sunt, etiam pro tribunali expediri & subscribi potuerint; non tamen illa, quæ cognitionem & decretum exposcebant, alibi, quàm pro tribunali, fieri poterant. 7 Erat autem tribunal locus eminentior, ferè hemicycli schemate introrsum curvatus, cui imponebatur sella curulis, in qua sedens Ma-

gistratus jus dicebat, hastâ positâ; sicque pro tribunali procedere solebat. Ubi autem Magistratus de tribunali descendebat in planum, aut in via, aut domi suæ dicebatur, dicebatur de plano cognoscere seu procedere, audiendò postulantium desideria. Quo in sensu capienda l. à procedente 4. Cod. de Dilation. ibi: à procedente Juaice dilationem non convenit postulari, etiamsi utraque parte presente tribuatur, cum non aliàs, nisi causâ cognitâ, indulgeri queat, & cognitio causa non interpellatione planaria (vulgò legitur plenaria) sed confidente magis Juaice legitime colligatur.

Neque tamen existimes, de plano & summariim cognoscere semper in idem recidere: nam ea quidem, quæ de plano fiebant, summariim tantummodò & obiter quasi cognoscebantur; sed & quædam erant negotia, non aliam quàm summariim cognitionem postulantia, v. g. bonorum possessio ex edicto Carboniano vel ad exemplum ejus l. Carbonianum 3. §. 4. ff. de Carbon. Ed. l. sicut liborum 1. §. 14. ff. de Ventre in possess. miss. nec alibi, quàm pro tribunali, expediebantur d. l. bona autem 3. §. 8. ff. de Bonor. possess. l. utile tempus 2. §. 2. ff. Quis ordo in possession. serv.

CAPUT IX.

De Imperio.

SUMMARIA.

1. An verum imperium Magistratibus competat ut proprium? Ratio ambigendi. 2. Solvitur hæc ratio, & defenditur affirmativa. 3. & seqq. Illustratur & stabilitur. 6.

An imperium mixtum de Jure Romano sit penes omnes Magistratus? Refertur opinio negativa. 7. & 8. Juxta diversitatem imperii deciditur.

QUÆSTIO I.

An Merum Imperium competat Magistratibus ut proprium, vel alienum?

1 **R**ationem dubitandi movent aliqui ex eo: tum quia Merum Imperium competit non jure ordinariò, sed ex speciali beneficio: tum quia non habetur quoad proprietatem, sed quoad usum duntaxat per l. quacunque 1. in princ. verb. ut is cui obtigerit exercitio ff. de Off. ejus cui mand. est Jurisd. Verùm jam in cap. 1. num. 87. animadversum est, Jurisdictionem extraordinariam, ad quam

refertur Imperium Merum de Jure Civili, rectè propriam appellari: hòc ipso enim, quòd ex Lege habeatur, non habetur ex beneficio hominis, uti mandata & prorogata: consequenter habetur & exercetur jure proprio, in persona habentis radicató. Certè de Jure Civili nulla Jurisdictio, etiam Ordinaria, fuit habita jure proprietatis in eo sensu, quòd de ea, sicut hodie sit, qua-

4 si hæreditariâ & patrimoniali potuerit disponi; sed tantum jure suo. Id quòd insigniter explicat Huberus ad tit. ff. de Jurisd. dict. in rubr. de Imper. n. 6. omnis, inquam, potestas in Republica derivatur à Principe, à quo si immediatè descendat, Juris ratio vult, ut propriam dicamus potestatem his, quibus data est. At à Principe concedi Merum-

Imperium, idque semper ab eo dependere, fatemur. Ideòque, si quis hanc ob causam jus Principis appellare velit proprietatem, & quòd Magistratus habeat exercitium, potest quidem; sed tunc idem de Jurisdictione omnique potestate dicendum, non de Mero Imperio duntaxat. Ex quibus liquere patet responsio ad cit. l. quacunque 1. in pr.

QUÆSTIO II.

An Imperium Mixtum de Jure Romano competat omnibus Magistratibus?

6 **I**lli, qui negant, & ad suum intentum adducunt l. ea qua 26. in pr. ff. ad Municipal. ubi, qua magis Imperii, quàm Jurisdictionis sunt, à Magistratibus municipalibus fieri non posse dicuntur; in nostris principiis facillè refelluntur: concessimus enim in hoc cap. n. 71. Magistratibus inferioribus alteram speciem Mixti Imperii, in qua Imperium subsidiariè, quatenus opus est coërcitione, multæ dictione, pignoris captione ad Jurisdictionem securius administrandam; negavimus econtra

in num. 70. illam speciem, in qua vis Imperii eminet præ Jurisdictione seu causæ cognitione: quò intellectu declaranda est cit. l. ea qua 26. in princ. uti constat ab exemplis, in §. 1. subjunctis ibi: Magistratibus municipalibus non permittitur in integrum restituere, aut bona rei servanda causâ jubere possidere, aut dotis servanda causâ, vel Legatorum servandorum causâ: cujusmodi exempla in numero 77. & seqq. ad hanc speciem redacta sunt.



SUPPLEMENTUM

AD

LIBRUM II.

TRACTATUM I.

DE

JUDICIIS.

CAPUT I.

De Judiciis in genere.

SUMMARIA.

1. & 2. Discrimen inter processum summariim & de plano iterum indicatur. 3. & seq. Expanditur processus summariim. 5. & seq.

Adumbratur processus executivus. 7. Expanditur processus preparatorius & principalis. 8. Illius exempla.

QUÆSTIO I.

Qualiter in Judicio summario procedatur?

5 **C**ommunis est traditio, in Judicio summario procedi de plano. At, ne vocabuli fiat abusus, sciendum est ex priori lib. tract. 5. cap. 8. num. 10. ly planum, strictè acceptum, non semper esse idem ac summariim.

Nam causæ summarie aliquando tractantur à Judice, pro tribunali sedente, quoties nimirum, præviâ cognitione summaria, interponendum est decretum, aut ferenda sententia, velut in decretali bonorum possessione

ne l. bona autem 3. §. 8. ff. de Honor. possess. ex-
cusatione tutorum l. excusari 25. ff. de Excusat.
tut. Aliquando, si levioris sint momenti, tra-
stantur coram Judice, pro tribunali non se-
dente, sed stante de plano, aut extra sellam
judiciariam, ubi per solum libellum & ejus
subscriptionem negotium terminatur, uti fit
in interruptione Præscriptionis. l. scire oportet
13. §. 10. ff. eod. D. Huberus ad tit. ff. de
Judic. n. 34. Clariss. D. Herz de Magistratu
lib. 2. cap. 1. tit. 2. p. 1. n. 12. Igitur, quan-
do in processu summario Judex dicitur de

plano procedere, dicere volumus, omitti
apparatum & solennitates judiciarias, alio-
quin in processu pleno & solenni adhiben-
das. Qua de re in Ordinatione provinciali
Salisburg. von dem Civil-Process cautum est,
ut in præsentia partium aut earum procura-
torum negotium oretenus disceptetur, au-
ditâ actoris intentione, & rei responsione,
factâque replicâ & duplicâ; atque post re-
plicam causa habeatur pro conclusa, & sen-
tentia pronuntietur, ac, quod hinc inde actum
fuerit, protocollo inseratur.

QUÆSTIO II.

Quid sit Processus executivus?

Speciem Judicii summarii frequentiore
Huberus d. l. num. 36. assignat Judicium
seu Processum executivum. Potest nempe
ipsum Judicium summarium dividi, quod aliud
sit in specie tale, de quo antea; aliud execu-
tivum, quod locum habet, quoties actor
ex instrumento liquido seu guarentigato
(ex quo nimirum statim liquet, quis, cui,
quale, quantum, & ex qua causa debeat)
ad executionem mox faciendam concludit.
Petit enim citationem debitoris, ut manum

suam agnoscat, vel inficietur; & si agno-
scat in Judicio, parata est provisio, quâ con-
demnatur reus ad numerandam in judicio pe-
cuniam, quam accipit actor, præstitâ cautio-
ne de restituendo, si contra judicatum fue-
rit, fortè quod reus excipiat contra causam
debiti, de qua exceptione in processu ordi-
nario disceptatur; sicuti etiam fit, si reus
manum suam diffiteatur. Et hic proce-
dendi modus saltem in terris Saxonici Juris
obstat.

QUÆSTIO III.

Quid sentiendum de Judicio preparatorio & principali?

Adstruit id Huberus cit. l. n. 31. ac præ-
paratorium vocat, quod viam sternit ad
aliud & gravius; principale, ad quod via sic
sternitur. Favetque illi Jus nostrum in
actione ad exhibendum, quâ quis petit, rem
prius exhiberi, ut deinde, cum oculis fuerit
subiecta, sciat, utrum ad se pertineat l. hæc
actio 1. & seq. ff. ad Exhib. in interdicto de ta-

bulis exhibendis, quod petitur exhibitio testa-
ment, ut petitioni legati pandatur jñua
l. ad legatum 62. ff. de Procurat. in interdicto
de liberis exhibendis, ex quo pater liberos
sibi exhiberi desiderat, quatenus, si ab aliis
inviti detineantur, ad jus suæ potestatis
revocentur l. deinde 3. §. 1. ff. de Liber. exhib.
band.

CAPUT II.

De Personis, ad Judicium concurrentibus.

SUMMARIUM.

1. & seqq. Multiplici distinctione ostenditur, an
& qualiter minor possit esse Judex Notionalis.
4. Episcopus non potest esse Judex in can-
sa sua privata. 5. & seq. Licet spoliatores
censurâ possit coercere. 7. Neque Judex esse
potest in causa Ecclesie, in qua principaliter
agitur de interesse Episcopi. 8. & seqq. Sin
verò agatur principaliter de interesse Ecclesie,
& in consequentiam de commodo notabilis Epi-
scopi, Judicium agere, sed recusari valet. 11.
& seqq. Secus si commodum illud non sit no-

tabile. 14. & seq. Vicarius neque judi-
care in causa, in qua Episcopus judicandi
facultate destituitur. 16. Etsi aliud de
consuetudine receptum dicatur. 17. Ubi
verò Episcopus recusari tantum potest, Vi-
carius non rectè recusatur, sed tantum
accipit adjumentum. 18. & seqq. Describi-
tur Juris peritia, in Advocato requisita. 21.
& seqq. Varia procuratorum genera & munia
referuntur. 24. & seq. Earum prerogative
in Curia Romana.



QUÆSTIO I.

An Minor possit esse Judex?

De Minore, an & quatenus possit esse Ju-
dex Jurisdictionalis? Actum in lib. 1.
tract. 5. cap. 1. à num. 123. An verò & qua-
tenus possit esse Judex Notionalis? Cum
Clariss. D. Herz de Magistratu d. lib. 2. cap. 1.
tit. 2. p. 1. num. 20. ita discurrere poterimus,
ut, si annum vigesimum impleverit, possit
& debeat etiam invitus esse Judex per l. cum

lege 41. ff. de Recept. qui arbitr. & si saltem
decimum octavum annum exegerit, possit,
non verò debeat, esse Judex, partibus con-
sentientibus cap. cum vigesimum 41. de Offic.
Jud. deleg. Sin infra hunc annum
constat, à nemine, quàm Supremo Prin-
cipe, rectè detur d. cap. & l. quidam 57. ff.
de Re Judic.

QUÆSTIO II.

An Episcopus possit esse Judex in causa suæ Ecclesie?

Non loquimur hic de causa privata, Epi-
scopum concernente, ut puta, si aga-
tur de hereditate, legato, donatione &c.
nec enim magis in causa sua propria judicare
potest, quàm alius quisque, Summo Prin-
cipe inferior. Vid. dicta in lib. 1. tract. 5.
cap. 1. à num. 149. Eminentiss. D. Cardinalis
Petra ad Constitut. Apostol. rom. 1. pag. 186.
num. 94. Quamquam, si Episcopus, vel
alius Prælati, habens Jurisdictionem Eccle-
siasticam subalternam cum mero imperio
spirituali, invadatur ab aliquo, aut bonis
etiam patrimonialibus spoliatur, possit con-
tra invadentem aut spoliatorem per censuras
extrajudicialiter procedere cap. dilecto 6. de Sent.
excommunicat. in 6. quia, sicuti cuicumque
privato licitum est, armis temporalibus tue-
ri bona propria contra invasores; ita hoc
ipsum Prælati Ecclesiastico, in defectum
armorum materialium, permittitur facere
gladio spirituali. Quod etiam respexit Leo IX.
in sua constitutione, quæ incipit: quia aucto-
re, editâ annò 1051. & illustratâ à cit. Emi-
nentiss. Petra d. rom. 1. à pag. 157. Loqui-
mur igitur de causa, concernente Ecclesiam,
in qua distinguendum est, an agatur princi-
paliter de interesse Episcopi, an ipsius Eccle-
siae. Si agatur principaliter de interesse
Episcopi, veluti de fructibus & redditibus, ad
mensam Episcopi per se spectantibus, Episco-
pus in hac causa, tanquam verè sua propria,
nequit esse Judex per cap. viduum 29. II. q. 6.
ibi: & palam est, eam propriam esse causam,
cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo
nomine pertinet &c. qua de causa, si Episcopus
(sui etiam Capituli accedente consensu) mensa
sua vel ipsi Capitulo aliquam auxerit Ecclesiam
uniendam, hoc irritum esse doceritur & inane,
contraria quavis consuetudine non obstante juxta
Clem. ult. de Reb. Eccles. non alienand. Rota Ro-
man. in rec. p. 15. decis. 122. n. 20. Card. de
Luca de Jurisd. disc. 47. n. 10. Card. Petra

d. rom. 1. pag. 188. n. 121. Si agatur prin-
cipaliter de interesse seu commodo Ecclesie,
& consecutivè de utilitate Episcopi, refert,
an interesse seu commodum illud sit valde
propinquum & considerabile, vel remotum
& inconsiderabile. Si primum; Episcopus
quidem absolute potest esse Judex, sed op-
positâ exceptione suspicionis reculari arg. cap.
si quis 16. II. q. 7. & cap. insinuans 25. de Off.
Jud. deleg. Rota in cit. dec. 122. n. 21. Un-
de, si agatur de bonis emphyteuticis Eccle-
siae, quorum utilitas pertinet ad Episcopum,
vitâ durante, sicque ipsius emolumentum
considerabile concurrat, potest recusari. Rota
coram Cerro dec. 195. n. 6. Petra d. l. pag. 188.
num. 115. Idem est, si agatur de bonis
mensæ, & impugnetur dominium Ecclesie.
Rota coram Bichio dec. 322. n. 1. & seq. Pe-
tra pag. 189. n. 125. Card. de Luca de Fu-
risdict. cit. disc. 47. n. 13. & de Judic. disc. 3.
n. 56. & seqq. Si secundum; Episcopus
reculari nequit: non enim tam facile licet
præsumere, quod Episcopus ob modicum &
remotum commodum ex affectu sinistro ju-
dicaturus sit. Card. Petra pag. 187. n. 109.
& seq. ubi exemplum dat de causa beneficia-
li, inter compatorum & promotorem fi-
scalem, contendentem de libertate benefi-
cii, in qua, cum interesse primarium sit Ec-
clesie, quæ non debet pati servitutem in
beneficiis, & interesse Episcopi quoad illius
liberam collationem sit valde remotum, nul-
lâque consideratione dignum, utpote dum
evenire potest, ut, vivente Episcopo, benefi-
cium nunquam vacet, aut vacet solum in
mense reservato, Episcopus Judicem agere
non prohibetur. Card. de Luca de Jurisd.
d. disc. 47. n. 9. & de Judic. d. disc. 3. n. 59.
qui etiam disc. 85. n. 10. de Jurisdic. aliud
exemplum affert in Judicibus Cameralibus,
qui, licet participant de confiscatione bono-
rum, remanent tamen Judices.

